

30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*VI-26.*

SIGNAT. ciobcccxiij.

*Stückzettel erled.  
11. XII. 1949.*




Pro Krok.

Einzelne verzeihelt

5.





A. A. C. C.  
DISPUTATIO  
EXERCITATIONUM PHILO-  
SOPHICARUM XVI.

De  
**MUNDO, DEQUE**  
NATURA COELI.

Quam,  
*Favente Jehovah,*  
SUB PRÆSIDIO

**M. TOBIÆ TILMANI**

VVitteb. Colleg. Philos. Adjuncti,

*Liberalis exercitij gratiâ defendendam suscipiet*

**ADAMUS SCHACHTIUS,**  
Masſoyienſis Pomeran.

*In celeberrimâ VVittebergensi Academia,*  
*ad diem 19. Aug. horis 8 loco ſolito.*

Xenophon. lib. I. *ἁπομνημ.*

*Mundus Sapientis architecti, & amanti hominum*  
*opus eſt.*

VVITTEBERGÆ

Ex officina Typographica Iohannis Gormanni,  
ANNO M. DC. X.



ILLUSTRI, GENERO-  
so & inclyto Domino,  
Domino

VITO L. BARONI à  
Schönburgk/

in

Glauchaw & Waldenburgk/ &c.  
Domino,

Domino suo clementi

*Hanc de Mundo deq; cœli natura  
dissertationem*

*Humilimè*

O. D. N.

Adamus Schachtius.

P R Æ L O Q V I U M.

**C**oncinnā in totum, perpulebra partibus omnibus Seneca, lib. de Vita tranqu. cap. 32. est sententia: Curiosum nobis natura ingenium dedit, & artis sibi ad pulchritudinis suae conscia, spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta, tam nitida & non uno genere formosa, solitudini ostenderet, &c. Quā non tantum curiositatem naturae humanae, nullibi non obviam, ad nulla non vergentem perstringit, sed & terminos ejusdem legitimos annotat, qui sunt ut animus à terrenis ad Naturae Mundiq̄ contemplationem se demittat, respiciat rerum naturae spectaculo, eoq̄, quasi reficiatur. Furorem enim est, profectio furor, (sic habent Plinii verba, lib. 2. N. H. c. 1.) egrediè mundo, & tanquam interna ejus cuncta planè jam sint nota, scrutari extera & aliena: Aliis namq̄, non sedatur animi impetus, naturae operum solā contemplatione attollitur, levatur, revertiturq̄, ad illa quorum fuit. Proinde præclare iterum Præclarus Seneca sic inquit: Interdices mihi inspectionem rerum naturae, ac toto obductum rediges in partem? Ego non quaeram quae sint initia universorum, quis rerum formator, quis omnia in uno mersa, & materiae inertis convoluta disreverit? Non quaeram quis sit artifex hujus mundi, quā ratione tanta magnitudo in legem & ordinem venerit, quis sparsa collegerit, confusa distinxerit, nimia deformitate latentibus faciem dividerit? Ego ista non quaeram? Ego nesciam unde descenderim? Veras me caelo interesse, id est, jubes me capite demisso vivere? Major sum & ad majora genitus, quam ut mancipium sim mei corporis, &c. lib. 1. Epist. 66. Ut igitur & nos cogitationes nostras ad sublimia intendamus, & curiositatem piā, à piā matre, Naturā, inditam, ad haec ritè aptemus: Ideo, fundamentis Physiologiae ubertim hactenus ventilatis, jam eam ipsam conferre ad specialem ejusdem partem, & primò quidem vice hanc mundi caliḡ generatim secreta, quantum humanae capis conjectura mentis, indagare, arripet.

T H E S I S I.

**M**undi sumitur vocabulum quandoq̄, latè, pro omnibus intra & extra hunc mundum, corporeis juxta & incorporeis, rebus: Quandoq̄, strictim pro rebus saltem inferioribus hiscè, perpetuā & mutuā corruptione inter se grassantibus; Quandoq̄, demum genuinè pro toto caelestium & sublunarium corporum circumflexu, quam acceptionem in praesens etiam respicimus.

II. Et Latinis pariter & Graecis tacito quodam consensu à perfectā absolutāq̄, pulchritudine ac ornatu sic dicitur, his quidem κόσμος, illis vero Mundus; post DEVM enim spiritusq̄, Plinio teste, lib. 2. N. H. c. 4. nihil pulchrius mundo occurrit, nihil admirabilius invenitur, nihil ornatius reperitur. Universalitas etiam vocatur, lib. 1. de Caelo c. 1. non quod extra hunc aspectabilem mundum nihil sit, sed quod tanquam sedes amoenissima & capacissima omnia contineat corpora.

III. Natura ejus pingui Minerva (nam accuratè defini nequit, cum sit ens è multis iisdemq̄, diversissimis speciebus aggregatum) sic à Philosopho-

rum Antesignano adumbratur, quod sit ούσημα ἐξ ἑργῶν καὶ ἡς ἢ τῶν  
ἐν τῷ τοῖς ἀειχομένῳ φύσει, in lib. de Mundo c. 2. Hec definitio ut  
aperta & resoluta videatur, magnò interest causas Mundi, ejusq; acciden-  
tia sermone referre exponereq;.

IV. Causam igitur Efficientem, sospitorem & genitorem Mundi adse-  
rimus esse DEVM Ter Opè Max. qui suoptè nutu, ac liberrimo Voluntatis ar-  
bitrio ex nullâ presuppositâ materiâ eundem creavit, sicuti sacra oracula  
clarissimè pro testimonio dicunt, & Plato aliquantillâ ratione id in Timæo  
exposuit, f. 526.

V. Valeant itaq; Iudæi, non soli DEO sed & angelis opus creationis Mun-  
di adsignantes, August. lib. 10. de civ. Dei c. 26. Valeat Cerinthus, Carpocra-  
tes, Archontici, & alia horrenda Ecclesia monstra, à diabolo infelicissimo par-  
tu enixa, qui mundi productionem simpliciter quibusdam virtutibus & spiri-  
tibus in solidum ascripserunt, quos & Saturninus sine consensu DEI Patris  
illam molitos esse, turpiter mentitur, Epiph. lib. 1. heres. 29. & 21.

VI. Valeat Simplicius, nimium hîc simplex, qui barbaro ore Mosis narra-  
tionem de Creatione fabulam Iudaicam appellitavit: Valeat Galenus, qui  
eandem fastidiosè respuens improbè cavillatus, Mosis Ἰ. γ. γ. ε. λ. ω. εἰς α. α.  
να πὸ δ. δ. η. ο. υ. lib. 11. de usu partium, sol. mihi 108. Valeant Epicurei, mundum  
fortuito & cæco concursu Atomorum constatum, delirantes.

VII. Valeat demum Aristoteles, Doctiss: Philosophorum, qui nunquã mun-  
dum tepisse, sed ab omni aternitatis memoriâ extitisse, aternumq; duratu-  
rum, defensitare seridè conatus fuit, lib. 8. Phys. c. 1. lib. 12. Met. c. 5. lib. 2. de  
Cælo c. 1. Nobis enim summam major est scripturæ autoritas, quam omnis  
humani ingenij sagacitas, August. c. 3. de Genesi litt. 6. 5.

VIII. Quinimò, quo ad sententiam Aristotelis, (quem quidem aliqui ex-  
susant, quasi senserit mundum non coepisse per generationem: Tamen cum e-  
jus rationes directè pro aternitate mundi pugnent, vix defensitari posse pu-  
tatur) rationibus certiss: demonstrari contrarium potest; Deus enim nullo  
modo agit necessario, sed liberrimè, & deinde est infinita virtutis ac poten-  
tia, qui igitur ipsi creatio impossibilis? Et quid causa erit quod eam presta-  
re non poterit?

IX. Imò mundus minimè est Ens absolutè simplex, tale enim solus DEVS  
est, sed compositum, & quidem ex materia & forma: Omne verò compositum  
anteponit componentem, quia nihil à seipso est: Ergo parili hac ratione res se  
etiam habebit cum mundo, & dependenter ille non aternus. Sic omne Ens

multum



multum pendet ab Ente uno, multitudo .n. ab unitate oritur proficisciturq;  
Atqui mundus est Ens multum, ut nimis est manifestarium, DEVS vero  
Ens unum, Ergo.

X. Quid? quod & Mundum interiturum non leuicula vel ipse res Natura-  
les argumenta in manus quasi praebeant, dum Sol nobis multo propior reddi-  
tus, Elementa impuris. effecta, vires, uno verbo, omnium rerum effecta &  
lassa. Verum condonandum Philosopho erratum hoc, quippe qui creationem  
juxta ignarissimos novit, imò scire legitime luce naturali non potuit, est n.  
Artic. Christianae fidei, qui nō intelligendo creditur, sed credendo intelligitur.

XI. Hoc interim adhuc conquiritè advertendum, quod DEUS ab hoc opere  
suo ex nihilo (prout terminus, non prout materia est, Stalig. Exerc. 6. S. 13.)  
condito non discessit, sed ei semper praesentissimus adsit, conservet illud, cumq;  
causis secundis ad quamlibet earundem actionem eliciendam actu concurrat:  
hinc praclare Manilius, lib. 1. Astronom. fol. 9. sic ait — Hoc opus immensū  
constructum corpore mundi — Vis animae divina regit sacroq; meatu —  
Conservat DEVS & tali ratione gubernat, & c.

XII. Opinio igitur est & impia & vana Epicuri, omnia caeco fortuna im-  
petu facta esse, fieriq; jam statuentis: Cui accensenda plerorumq; Ethnicorum  
& Arianorum, (juxta Cyrill. lib. 5. Thes. adu. Haeret. c. 2.) providentiam  
Dei concedentium, sed ad maxima saltem & summa se extendi, adserenti-  
um, Plin. lib. 2. N. H. c. 7; Nos cum Augustino dicimus, Fides ea Catholica est,  
ut omnibus Deus, qui omnia creavit, provideat, disponat, gubernet, & per  
media & immediatè, & minima ut majora, lib. de Provid. c. 6.

XIII. Porro Materia mundi constituendi est nihilum, unde protritus ver-  
sicalus — Materiam noli querere, nulla fuit; Constituti autem corpora  
sunt naturalia, simplicia maximè praecipueq; & composita; Membra enim  
singula materiam integri continent, lib. 1. de Caelo c. 9.

XIV. Hinc ex facili collectu est, mundum quaeq; ejus complexu tenentur,  
esse substantias, resq; solidas: Nihili ergo aestimanda sententia Platonis,  
quae fuit, omnia in mundo esse Idearum, nescio quarum, imagines & um-  
bras; Sicuti & opinio Valentianorum, qui in hoc mundo nil nisi evanidas  
rerum imagines, nudasq; umbras esse, contenderunt. Irenaeus lib. 2. c. 7.

XV. Forma mundi est essentialis & perfectiss: rerum ordo, penes quem cor-  
pora naturalia πολυδαδάλω nexu inter se copulata, sapientissimaq; dispo-  
sita, ut nil ornatius, nil pulchrius: Deceptus hac pulchritudine Plato, mun-  
dum animal aliquod esse & animatum voluit; Verum si non de rerum συμ-  
μετρία

ἡ δὲ τῶν  
καὶ τῶν  
καὶ τῶν

ἡ δὲ τῶν  
καὶ τῶν  
καὶ τῶν

ἡ δὲ τῶν  
καὶ τῶν  
καὶ τῶν

ἡ δὲ τῶν  
καὶ τῶν  
καὶ τῶν

ἡ δὲ τῶν  
καὶ τῶν  
καὶ τῶν

ἡ δὲ τῶν  
καὶ τῶν  
καὶ τῶν

ἡ δὲ τῶν  
καὶ τῶν  
καὶ τῶν

pergrua hoc intelligatur, graviss: absurditatibus adsertio hæc est implici-  
ta, Scalig. Exerc. 6. S. 2.

XVI. Finis tandem ejus est vel cujus, & ipsamet rerum absolutio dici potest;  
vel cui iterumq; est vel minus principalis, estq; usus hominum, omnia siqui-  
dem propter Hominem, Homo propter Deum, Scalig. Exerc. 250: vel prin-  
cipalis, ultimus & summus, sicq; est Gloria Dei. Ipse enim principium & fi-  
nis, ab eo igitur & ad eum omnia.

XVII. Quam in sententiam divina planè verba Lactantius, lib 7. div. Inst.  
c.9. protulit: Mundus, ait, factus est ut nascamur, ideò nascimur ut agno-  
scamus factorem mundi & nostri, Deum ideò agnoscimus ut colamus, ideò  
colimus ut immortalitatem pro laborum mercede capiamus, ideò premio im-  
mortalitatis afficimur, ut similes Angelis effecti, summo Patri ac Domino in  
perpetuum serviamus, & simus eternum Dei regnum. Et hæc de causis mun-  
di: Deinceps accidentia ejus, ut est figura & quantitas, videbimus.

XVIII. Figurâ constat Mundus sphericâ, quæ & nobilitati ejus conveniens,  
& præcipuis integralibus partibus ipsius competens, lib. 1. de Cælo c. 6 & lib.  
2. c. 3: Pererroneæ igitur fuere sententiæ Philosophorum veterum, qui vel  
circumvexum, & multis angulis undiq; fastigiatum, vel ad pellis extensa mo-  
dum planum & latè porrectum, &c. eundem esse voluerunt.

XIX. Ratione Quantitatis, & quidem continuæ, mundus est finitus, ut pa-  
tet, partim ex motu ejus circulari, partim figura spherica, licet infinito per-  
similis haut inverè à Plinio statuatur, lib. 2. N. H. c. 1: Ratione verò discretæ  
non nisi unus est, aliàs namq; tota ejus concinnitas destrueretur, motusq; o-  
mnes perirent, lib. 1. de Cælo c. 8. Hæc de Mundo.

XX. Ceterùm corpora, quæ Mundi circumflexu coercentur, duplicis sunt  
conditionis, alia simplicia, quæ motus localis simplicis in seipso principium  
habent, lib. 1. de Cælo cap. 2. alia composita: Simplicia quorum considera-  
tio primò instituenda, iterum nõ ejusdem sunt indolis, sed alia sunt inconstan-  
tia, de quibus pòst, alia perpetua, omnisq; cassæ mutationis, ut est Cælum,  
eujus theoriam generalem paucis hoc in loco daturi sumus.

XXI. Cælum igitur, quod nomen hoc meruit suum, sive quod cælatum, si-  
ve quod cavum sit, Plin. lib. 2. N. H. c. 4 Varro de lingua Lat. lib. 1. fol. 10.  
omnisq; syderum compago, comunè Aether vocatur, non quod ignitus sit,  
& succensus, sed cursibus rapidis rotetur. Apul. lib. de Mundo fol. 15: Estq;  
nihil aliud, quam corpus naturale, simpliciss: sphericum, pellucidum, inq;  
orbem mobile.

XXII.

XXII. Dicitur corpus, tum quia res consistens, non est evanesens, tum quia  
trinâ dimensione præditum: Non autem quodvis nomen corporis subit, sed  
duntaxat naturalis, quia, præter cætera, nec est pura potentia, qua per se  
non movetur, lib. 5. Phys. t. 3. nec purus actus, qui ex se non quantus, ibid.  
t. 3. at compositum quoddam, ex materia scilicet & forma, lib. 1. de celo t. 92.

XXIII. Materiam enim celo qui denegant, toto errant celo, cum in eo ma-  
nifesto repertu sit quantitas, figura, aliâq; accidentia, quia non aliunde esse  
possunt quam à Materiâ lib. 1. de Cælo, t. 92. & lib. 8. Metaph. c. 2. Mini-  
mè autem hæc ejusdem est naturæ cum elementis, aut peti potest ab horum,  
ut Plato locutus, floribus; Id quod diversiss: motus, & modis infinitis discre-  
pantia accidentia dilucidè innuunt lib. 2. de Cælo c. 7. lib. 1. de gen. c. 1. & 6.

XXIV. Sic igitur calum nec igneum est, ut Pythagoræi & Stoici docuere,  
aliâs namq; voracitate suâ jamdudum ætatis inferiorem absumsisset mun-  
dum; Nec aqueum, ut Thales Milesius voluit, levis enim ejus subtilitasq;  
longè quid aliud indicat; Nec demum æereum, ut Empedocles adseruit, quò  
enim possibile, ut tenuiss: illud corpus ita exsiccetur, inspissatumq; sic consi-  
steret?

XXV. Quenam igitur istius materie facies? Est Elementum numero quin-  
tum, ordine primum, genere divinum & inviolabile, naturâ simpliciss. Apul.  
in lib. de Mundo f. 3. quod aliquantulum ex accidentibus inde agminatim re-  
sultantibus mente concipi potest, dum calum nec leve nec grave, nullo colore  
imbutum, visu non pervium, fovens omnia, motumq; vitamq; cunctis rebus  
impertiens.

XXVI. Consimiliter quoq; formam informantem in celo sibi locum vendi-  
care innuunt non modo Quantitatis determinatio: sed & cætera accidentia,  
mobilitas videlicet, luciditas, varietas, densitas, & hujus generis alia affe-  
ctiones, quæ à formâ unicè dependent.

XXVII. Ulterius autem in definitione cæli ponitur figura ejus, eaq; spheri-  
ca, indicio scilicet & nobilitatis & capacitatis, lib. 2. de Cælo c. 4. Insuper ce-  
lum pellucidum est, id quod oculorum judicio constat, quo lux princeps o-  
mnium qualitatatum in eo manifestè deprehenditur.

XXVIII. Tandem calum in orbem est mobile, dum scilicet simpliciss: est  
corpus, meritò igitur simpliciss: flagitat atq; exposcit motum, qui calculo o-  
mnium non nisi est sphericus, qui ipsi est naturalis lib. 1. de Cælo, t. 9. 11. &  
16. & ab ejus formâ informante provenit, quæ cum otiosa esse nequeat, ope-  
rationem hanc luculentam edit, quæ dirigitur quasiq; determinatur ab ap-  
plicatione Intelligentiis.

XXIX.

XXII.

XXIX. Estque hic motus cœli, ob salutem animantium, obque generationum  
& corruptionum vicissitudines, duplex, Rectus & Transversus: Ille est qui  
semper sibi æquabilis viginti quatuor horarum spatio ab ortu in occasum, sic  
enim optimum esse Natura rata fuit, decurrens, reliquos omnes orbes secum  
rapit, non violentiâ quadam, sed suoptè ingenio secuturos, lib. 2. de Cælo cap.  
5. & 7.

XXX. Hic, transversus est, qui rectum transverse secat vel motu adverso,  
quo ab occasu in ortum omnes tendunt orbes, aut uniformiter, ut sphaera no-  
na, octavam una circumducens, & 72. annis juxta Copernicum unum gra-  
dum in medio motu conficiens; aut variè vel secundum longitudinem vel se-  
cundum latitudinem Zodiaci ut septem Planetarum orbes: Vel motu trepi-  
dationis, quo octavus orbis nunc à meridie in Septentrionem, nunc contra  
movetur. Hæc de cœli definitione.

XXXI. Ipsum autem dividuum potiss: est ratione Orbium, qui à varijs va-  
rijs ipsi adaptantur: Nos missis cæteris ad Alphonsinorum decreta placitaque,  
utpotè convenientissima & quæ exactè cum ipsa veritate consociari possunt,  
secedimus, ac decem orbes ponimus, quorum puncta omninò in cælo existunt,  
ut tam diversi motus clarè argumento sunt.

XXXII. Distinguunturque hi orbes in primum mobile, à quo motus Rectus  
proficiscitur, estque decimus orbis: & in secunda mobilia, quæ dirimuntur vel  
in Sphæram nonam, quæ octava sphaera tribuit motum, vel in cælum stella-  
rum, quod continet stellas vel fixas in octavo orbe, vel Planetas, qui septem  
inferiores orbes peculiariter seorsimque sibi vendicant. Sed ne ad specialia de-  
veniamus, de quibus mox, satis hæc sint pro generali cæli theoria.

#### A D J E C T A N E A.

1. Vis creandi soli inest DEO, nulli creaturæ communicari potest. 2. Mun-  
dus omnesque ejus partes perfectissimè à DEO creatæ sunt. 3. Existentiæ mun-  
di quæ nunc est, semper apud DEVM in actu fuit. 4. Idem mundus secun-  
dum Substantiam interibit. 5. Materia ejus etiam nullatenus fuit ab æter-  
no, sicuti Platoni visum. 6. Probabilius quoque mundum cum primo vere or-  
tum, non cum autumno. 7. Eadem est materia prima cæli rerumque sublu-  
narium. 8. Cælum homine nobilius est minimè. 9. Ex orbium motu sonus  
nullus, nedum Musicus, uti Plato & Pythagoras voluere, existit. 10. Cæ-  
lum Empyreum in rerum natura esse certò demonstrari non potest.

F I N I S,

Umg. VI 26

= [Dissertationes  
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17





M. A. C. C.  
 P U T A T I O  
 T I O N U M P H I L O.  
 I C A R U M X V I.

De  
 O, DEQUE  
 R A C O E L I.

Quam,  
 ueniente Jehovah,  
 B P R A E S I D I O  
 Æ T I L E M A N I

colleg. Philos. Adjuncti,  
 in gratia defendendam suscipiet  
 S C H A C H T I U S,  
 iensis Pomeran.

Vittebergensi Academia,  
 Aug. horis & loco solitis.  
 on. lib. I. ἀπομνημ.  
 rchitecti, & amanti hominum  
 us est.

T T E B E R G Æ  
 raphica Iohannis Gormanni,  
 10 M. DC.X.



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

